



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De pecunia pro fratre suo soluta, & in bursa multiplicata. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

De pecunia pro fratre suo soluta, & in bursa multiplicata.

1. **P**osthæc, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, frater huius virginis V Vilhelmus Petri defunctus est: & reliquit debita quædam, quæ filij eius persolvere nequibant. Quod cum virgo clementissima percepisset, venditis clenodijs ex hæreditate matris sibi relictis, ad octo libras Hollandiæ pretium collegit; & in denarios vnus monetæ, quos melius cognoscebat, permutari fecit, ac in bursa penes se collocavit. Quodam igitur die advesperascente, advocavit Nicolaum cognatum suum secum commorantem; misitque per manum eius, ad solvendum singulis debitoribus debita fraterna, vbi eos sciebat commorari. Persolutis itaque debitis omnibus, quæ noverat persoluenda, iussit Nicolao, vt bursam inspiceret, si quid in ea remansisset. Qui certissimè respondit, multam pecuniam in ea remansisse. Mox illa iussit, vt eandem numeraret. Cumque numerasset, dixit: Priores octo libras se inuenisse, & adhuc superesse. Tunc prohibuit eum amplius numerare; & gratias agens Deo super mirabili dono eius, de cætero statuit bursam illam bursam Iesu nominari, & quod ex ea pauperibus debeant necessaria dari.

2. Ex hac ergo liberaliter egentibus distribuebat, quædo alias pecunias non habebat. Si vero interdum aliquas pecunias vel proprias vel per elemosynas susceptas habebat, illas primitus dabat: quando autem alias non habebat, ex hac bursa Iesu tam largè erogabat, quod parum in ea remansit. Prouidebat tamen omnipotentis Dei misericordia, quod semper ad vsum pauperum, omnis sufficientia in ea redundaret: quemadmodum ad verbum Eliæ, lecythus olei in domo viduæ non deficiebat. Tradidit etiam nunquam alicui ex specialibus amicis suis hanc pecuniam numerandam, qui cum secundo vel tertio eam numerasset, inuenit semper eandem vltra tres vel quatuor aut quinque nummos creuisse. Solutis igitur ex hac bursa fratris sui debitis, plusquàm quadraginta libras ex eadem distribuit, sicut aliquibus secretissimis amicis suis reuelauit. Per hoc autem miraculum Deus manifestè innotuit, vt firmam fidem computator haberet in donis Dei, quæ circa eam fiebant.